

(27. Sublata seu recedente fictione, id est indignitate vel indispositione suscipientis, reviviscit Baptismus fidei, id est cum obice peccati mortalis susceptus: unde effectus gratiæ sanctificantis, qui propter obicem peccati mortalis, seu indispositionem adulti suscipientis tempore suscepti Baptismi impeditus fuit, remoto tali obice per veram pœnitentiam, statim confertur. *Communis* cum S. Th., q. 69, art. 10, ubi sic habet: *Oportet, quod remota ea per pœnitentiam, nempe fictione, Baptismus statim consequatur suum effectum.* Cui conformis est Scotus in 4, q. 5, n. 4, ubi sic expresse ait: « Postest dici, quod illa fictio non dimittitur, nisi per veram pœnitentiam, sed, ea dimissa, habet baptismus effectum suum. » Et, *ibid.*, n. 8, loquens de eo, qui accedit cum fictione, subjungit: *Recipit ergo effectum baptismi, quando pœnitet.* Unde immerito et falso in contrarium eum citat Gonet, disput. 4, *De baptismo*, art. 2. Et conclusio habetur tota expresse ex verbis S. Augustini, lib. 1 *De baptismo*, cap. 12, relat. in cap. *Tunc valere* 42, dist. 4, *De consecrat.*, ibi: « Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, quæ corde in malitia, vel sacrilegio perseverante, peccatorum abolitionem non sinebat fieri: » et ratio est, quia baptismus semel valide susceptus ob impressum characterem est initerabilis, ex conc. *Florent.*, sess. ultim. in deer. Eugenii IV, et concil. *Trid.*, sess. VII, canon. 9, cit. art. antecedent., n. 9, et ejus effectus, scilicet regeneratio spiritualis, est simpliciter necessarius ad salutem, *Joann.* IV, n. 1, ibi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et peccata ante baptismum commissa per nullum aliud sacramentum remitti possunt, sed per ipsum solum baptismum in re vel in voto, ut patet ex dictis sur verb. *PECCATUM*, n. 36, ergo necesse est ut Baptismus, semel valide receptus, sine effectu ratione obicis, recedente postea obice, operetur suum effectum, quem antea operari nequit.

(28. Etiam alia duo sacramenta imprimuntur characterem, scilicet Confirmatio et Ordo, si fidei seu indispositione cum obice peccati mortalis recepta sint, recedente postea per veram pœnitentiam fictione seu obice peccati mortalis, reviviscunt seu conferunt suum proprium effectum gratiæ sacramentalis. Sic expresse S. Th., in 4, dist. 4, q. 3, art. 2; S. Bonav., dist. 1, par. 1, art. 13, quibus consonat Scotus in 4, dist. 1, q. 5, n. 7, his verbis: « In quibuscunque sacramentis imprimuntur dispositio ad effectum principalem; si propter obicem in suscipiente non causatur tunc effectus principalis, cessante obice, sufficit dispositio ad illum effectum principalem, ut apparet in sacramentis imprimuntur characterem, quæ propter hoc non sunt iterabilia. » Et sic communior doctorum; et ratio est, quia etiam ista duo sacramenta sunt simpliciter irreiterabilia, et habent effectum suum sibi proprium; scilicet Confirmatio gratiam in fide Christi robo-

rantem, Ordo gratiam ad digne et sancte adimplenda ministeria sacra cuilibet ordini annexa, qui effectus ab aliis sacramentis conferri nequeunt, adeoque hæc duo quoque sacramenta semel valide suscepta sine effectu ratione obicis, postea, amoto obice, effectum suum causare seu conferre debent, ne recipiens teneatur carere effectu ipsorum in perpetuum.

(29. Etiam Extrema Unctio et Matrimonium probabiliter reviviscunt recedente fictione. Sic S. Thom., *loc. cit.*, et dist. 17, qu. 3, art. 4, cum dixisset, confessionem reviviscere sublata fictione, addit, idem esse in aliis sacramentis, et colligitur ex Scoto, *loc. cit.*, et tenet communior doctorum. Et ratio est, quia cum etiam hæc duo sacramenta secundum quid sint irreiterabilia, nempe durante eadem infirmitate et durante vita utriusque conjugis, et habeant effectus aliquos speciales sibi proprios, scilicet Extrema Unctio gratiam delentem peccatorum reliquias, et in extremo conflictu roborantem; Matrimonium gratiam mutuæ concordie conjugum conciliativam, et ad ferenda onera Matrimonii auxiliativam, nec hi effectus per alia sacramenta conferantur, hinc congruum est, etiam hæc duo sacramenta valide suscepta sine fructu, postea amoto obice, reviviscere, et dictos suos peculiare effectus causare, dummodo obex removeatur intra tempus ejusdem morbi vel conjugii, ut tenent Suarez, Lugo, Coninch, Castropal. cum La Croix, lib. VI, part. 1, n. 202, et plurimi alii.

(30. Pœnitentia autem non reviviscit recedente fictione seu obice. Sic Scotus, in 4, dist. 1, q. 2, § *Contra istam opinionem*; ubi sic expresse habet: « In fide pœnitente, cessante fictione, nihil est quod sufficiat ad effectum veræ pœnitentiæ, alioquin non oportet talem fidei confessionem de eisdem peccatis alias confiteri. » Scotum sequuntur passim Scotistæ et varii alii exteri contra divum Thomam, et alios; et sic videtur tenere praxis fere universalis confessariorum, qui omnes solent exigere a pœnitentibus confessionem fidei facturam repetitionem; eo vel maxime, quod non datur sacramentum Pœnitentiæ validum et informe, ut jam probavimus sur verb. *POENITENTIÆ SACRAMENTUM*, art. 2. a n. 16 ad 29. Vide, *ibi*.

(31. Eucharistia vero probabiliter reviviscit recedente obice, si obex removeatur, antequam consumptæ sint species; secus tamen, si obex removeatur solum, postquam jam totaliter consumptæ sunt species, et Christus jam desiit esse præsens. Sic communior doctorum cum Aversa, *De Eucharistia*, q. 7, sect. 1; Suarez, d. 63, sect. 8; La Croix, l. 6, part. 1, n. 250. Et ratio primæ partis est, quia cum in tali casu subjectum jam sit dispositum ad gratiam, et cum sacramento permanente adsit auctor omnis gratiæ, dicendum est, quod tunc causet gratiam. Ratio autem secundæ partis est, quia, si Eucharistia revivisceret, quando obex removeatur solum, postquam sunt consum-

ptæ totaliter species, et Christus jam desiit esse præsens, sequeretur quod sacerdos, qui toto tempore vitæ suæ quotidie communicasset sacrilege, si in fine vitæ pœniteret, acciperet ex opere operato vi tot communionum sacrilegarum plus gratiæ quam sacerdos, qui quotidie semper digne communicasset, quod nemo dixerit.

(32. Sacramenta non causant gratiam physice, sed moraliter, id est sacramenta non producent gratiam ut causæ physice, sed ut causæ morales, quatenus efficaciter movent Deum ad producendam gratiam, quam significant, et quam ipsemet Deus statuit dare infallibiliter, quotiescunque rite conficerentur et digne sumerentur. Sic Scotus, in 4, dist. 1, quæst. 3 et 5, cum omnibus suis Scotistis, S. Bonaventura, Richardus, Halensis, Aureolus, Vasquez, et plurimi alii contra Thomistas et alios; et ratio est, quia modus operandi sequitur modum essendi; sacramenta autem, ut sacramenta, sunt quid morale, cum dependant solum ex institutione Christi, a qua, et meritis ejusdem Christi Domini totam suam vim atque efficaciam causandi habent, adeoque et illorum modus operandi erit moralis et non physicus; tum quia ex divo Thoma p. 1, q. 45, art. 5, creatura non potest creare, neque principaliter, neque instrumentaliter saltem physice, quia creare est potentia infinita: sacramenta autem sunt creaturæ, adeoque non possunt producere gratiam ut causæ physice, quoniam gratia habet esse per creationem: dum etiam quia nulla causa producit physice effectum, nisi physice actu existat; sacramenta autem conferunt gratiam aliquando pro eo tempore, quo non amplius existunt, cum, ut diximus *supra* n. 27, ex S. Thoma, S. Augustino, Scoto, et communis aliorum, Baptismus, fidei seu cum obice receptus, non causet gratiam pro tempore quo cum tali obice peccati mortalis recipitur, sed solum pro tempore quo per veram pœnitentiam removeatur talis obex, et sic si quis hodie cum obice reciperet Baptismus, et cras obicem removeat, reciperet cras gratiam virtute Baptismi hodie suscepti, quod cum non possit competere causis physicis, dicendum est sacramenta esse tantum causas morales, adeoque, etc.

(33. Character sacramentalis, qui, ut diximus *supra* n. 4, est effectus particularis aliquorum sacramentorum proprius, imprimuntur solum in tribus sacramentis, scilicet Baptismo, Confirmatione et Ordine. Communis inter Catholicos, ex conc. *Florent.*, sess. VII, in Decreto Eugenii IV, et concilio *Tridentino*, sess. VII, canon. 9, per textus, *loco citato*, adductos.

(34. Cur autem sola dicta tria sacramenta, et non alia quatuor imprimant characterem? Ratio a priori non est nisi voluntas Christi Domini ita instituentis, quæ nobis sufficienter constat ex perpetua traditione et auctoritate Ecclesiæ; ratio autem congruentiæ desumitur ex Scoto, in 4, dist. 6, quæst. 10, quia sicut in politica civili tres tantum sunt gradus determinati et

speciales; primus scilicet dum admittitur quis in familiam principis; secundus, cum constituitur miles ad defendendam rempublicam; tertius, dum constituitur officialis principis: ita tres solum gradus determinati et speciales, adeoque dignitatem aut characterem imprimentes, reperiuntur in politica ecclesiastica: primus scilicet dum quis recipitur in familiam Christi, quod fit in Baptismo; secundus, dum fit Christi miles ad defensionem fidei Christianæ, quod fit in Confirmatione; tertius, dum constituitur dux aut unus ex magistratu familiæ Christi et dispensator mysteriorum Dei, quod fit in Ordine.

(35. Character est « signum spirituale indelebile animæ impressum in susceptione sacramenti irreiterabilis, significans potestatem quamdam spiritualem eo sacramento acquisitam. » Est in re communis, et desumitur ex concilio *Florentino*, sess. ultim. in Decreto Eugen. IV, et concilio *Trid.*, sess. VII, canon. 9.

(36. Character non est pura relatio rationis, aut denotatio extrinseca. *Communis*, ex concilio *Florentino*, *loc. cit.*, ubi character vocatur *spirituale quoddam signum a cæteris distinctivum* impressum in anima, indelebile, et ex concilio *Trident.*, *loc. cit.*, ubi character appellatur *signum spirituale et indelebile impressum in anima*.

(37. Character neque est relatio realis, sed entitas absoluta. Sic tenent communis doctores, et signanter celebriores Scotistæ, ut Bassolius, Mayronius, Rubionus, Vorillon, Nicolaus de Orbellis, Cavellus, Aretinus, Hyquæus, Pontius, Mastrius, Frassea, Coen, Dupasquer, et alii plures; nec contrarium Scotus, ut falso aliqui prætendunt, cum ipse in 4, dist. 6, quæst. 10, n. 13, resolvat characterem esse aliquid reale; sed an relativum sit vel absolutum, nihil determinat, cum utrumque problematice defendat, et sic plenam suis relinquat opinandi libertatem, ut patet ex sequentibus suis præcisus verbis: « Utrumque salvari potest, quod sit scilicet forma respectiva, sicuti jam ostensum est, vel quod sit forma realis absolute. »

(38. Character sacramentalis non subjectatur in anima sub ratione formali animæ. *Communis*, cum S. Thoma, quæst. 63, art. 4, et Scoto, in 4, dist. 6, quæst. 11, n. 3 et 4. Character igitur subjectatur in anima sub ratione formali voluntatis. (39. Sic Scotus, *loc. cit.*, cum omnibus suis contra Thomistas, qui dicunt subjectari in intellectu; ratio autem nostra est, quia in ea potentia poni debet signum obligationis, in qua ponitur obligatio; obligatio autem animæ ad Christum, quæ contrahitur per Baptismus, etc., ponitur in voluntate et non in intellectu, cum intellectus, utpote potentia necessaria, et ad unum determinata, non sit capax præcepti vel obligationis, adeoque, etc. Tum quia character debet poni in illa potentia quæ omnes alias potentias movet et dirigit ad actiones ad quas conferuntur sacramenta; hoc autem competit vo-



luntati instar reginæ omnibus potentiis imperanti, adeoque, etc.

(40. Character sacramentalis, de potentia Dei ordinaria est indelebilis, tum in hac, tum in altera vita. *Communis*. Et ratio est, quia alioquin a concilio *Florentino* et *Tridentino*, *locis citatis*, non posset dici absolute esse *signum indelebile*. (41. Potest tamen deleri de potentia Dei absoluta, tam in hac quam in altera vita. *Communis*. Unde Scotus, in 4, dist. 6, q. 9, n. 20, sic expresse habet: « Nulla forma potest esse in anima, quam non possit Deus de potentia absoluta delere, quia in hoc nulla inveniri potest contradictio. »

(42. Sacramenta denegari nequeunt mulieribus menstrualis. *Benedict. XIV*, tom. I, constit. 107, incip. *Omnium sollicitudinum*, § 3, 14, 39. (43. Sacramentorum participatio denegatur occultantibus fidei Christianæ professionem cum simulatione Mahometismi. *Idem*, constit. 89, incip. *Inter omnigenas*, § 6. (44. Item mulieribus Christianis in Turcarum contuberniis viventibus absque religionis exercitio. *Idem, ibid.*, § 7. (45. Item mulieribus nulliter nuptis cum infidelibus, donec in concubinato permanserint. *Idem, ibid.*, § 13. (46. Item iis qui, uxore ad Turcas confugiente, aliam ducere præsumperint. *Idem, ibid.*, § 12.

(47. Sacramenta administrantes, etiam in Ecclesiis regularium, subsunt visitationi et correctioni episcopi, in his quæ spectant ad ipsam administrationem. *Idem*, constit. 109, incip. *Firmandis*, § 2. (48. Amplia, etiamsi ipsi non sint parochi. *Idem, ibid.*, § 3.

(49. Sacramentorum simulatio licita non est, etiam ad evitandum mortis periculum. *Idem*, tom. II, constit. 18, incip. *Postremo mense*, § 20 et 21.

(50. SS. sacramentum Eucharistiæ publicæ fidelium venerationi exponendum non est sine licentia episcopi seu ordinarii loci. *Idem*, constit. 5, incip. *Accepimus*.

(51. Sacramentorum materiam et formam adhibere circa subjectum capax, absque intentione conficiendi sacramentum, est omnino illicitum. *Idem*, constit. incip. *Ex quo primum*, § 56. (52. Sacramentum, si partes subjecti sejunctæ sint, valide et licite conferri potest a pluribus ministris, materiam et formam seorsim et diversis partibus applicantibus. *Idem* in d. *Appendice*, constit. incip. *Peracta*, § 15, ubi asserit quod, legitima concurrente causa, ut instans periculum vitæ infirmi, etsi ritualia obstant, nedum valide, sed etiam licite hodie in Ecclesia Occidentali sacramentum Extremæ Unctionis administraretur a pluribus sacerdotibus, quorum unus unum organum sensus inungat, proferatque formam, alique idem præsent super aliis sensuum organis. *Vide* ad id jam tradita a nobis in tomo 20, verb. *EXTREMA UNCTIO*, a n. 29 ad 33

SACRA SCRIPTURA.

Vide infra SCRIPTURA SACRA.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(53. E philosophia etiam Peripatetica desumpta sunt, quæ scholastici disputant de effectibus sacramentorum, tum et maxime de eo, quomodo et quando sacramenta producant gratiam. Confer. Vanespen, *Jur. eccl. univ.*, part. II, tit. 1, cap. 1, § 6.

(54. Inter effectus sacramentorum recensetur et *character*; isque effectus tribus tantum sacramentis tribuitur, *Baptismo*, *Confirmationi* et *Ordini*. Concilium *Tridentinum*, sess. VII, *De sacram. in gener.*, can. 9.

(55. In quo vero consistat characteris essentia, non conveniunt inter se theologî et canonistæ. (56. Dixit utique concilium *Tridentinum*, *loco mox citato*, imprimi per dicta tria sacramenta *characterem in anima*, hoc est *signum spirituale et indelebile*. Sed quid sit signum hoc, magna est dissensio. (57. « Verisimilius est (ait Vanespen *ubi supra*, § 11) aliud dicere noluisse synodum, nisi quod per hæc sacramenta imprimatur in anima ens quoddam morale, quale solet imprimi, dum quis ad dignitatem aut ad conditionem aliquam stabilem et permanentem assumitur, ut ex. gr. ad dignitatem doctoralem, regalem, etc. In horum enim adeptione et collatione accedit ipsi accipienti huiusmodi dignitatem vel conditionem quoddam ens morale, ratione cuius perpetuo reputatur rex, doctor, etc. »

(58. At, si dicendum quod res est, nec ipse Vanespen satis explicat, quid sit signum hoc spirituale et indelebile. (59. Retineamus autem eum, qui ex caractere fluit, effectum, quod scilicet tria hæc sacramenta non sint reiterabilia, et non curemus de explicatione mox dicti signi *spiritualis et indelebilis*.

(60. Cæterum tametsi dicta tria sacramenta haud reiterentur, tamen si rationabiliter de eorum valida collatione dubitetur, reiterari possunt. (61. Et quod notandum est, antiquitus sine ulla conditionis expressione reiterabantur, ut Vanespen, *eodem loco*, § 15, monstrat ex canon. 1 concilii *Carthaginensis v.* (62. Invaluit vero postmodum, ut reiterarentur sub expressa conditione *si suscepta non sint*. Sed nescitur quo tempore reiterari dd. tria sacramenta cœperint sub dicta conditione. (63. Haud improbabile vero est, ea ita reiterari cœpisse ex quo responsum *Alexandri III*, de quo in cap. 2 *De Baptismo*, decretalibus Gregorii IX insertum fuit. (64. In eo enim habetur: « De quibus dubium est an baptizati fuerint, baptizantur his verbis præmissis: Si baptizatus es, non te baptizo; sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo. »

(65. Recte vero monet *Rituale Romanum* sub titulo *De forma Baptismi*: « Hac tamen conditionali forma non passim, aut leviter uti licet, sed prudenter, et ubi re diligenter pervestigata, probabilis subest dubitatio, infantem non fuisse baptizatum. »

SACRIFICIUM.

SUMMARIUM.

1. Sacrificium in genere sumitur dupliciter, scilicet late seu improprie, et stricte seu proprie. — 2. Sacrificium late seu improprie sumptum, quid sit? — 3. Sacrificium stricte seu proprie sumptum, quid sit? — 4. Sacrificium stricte et proprie sumptum, de quo hic est sermo, definitur. — 5. Explicatur per singulas particulas, usque ad n. 10. — 11. Sacrificium varie dividitur. Primo, ratione materiae, dividitur in *victimam*, seu *hostiam*, in *immolationem* et in *libamen*, quæ omnia declarantur. — 12. Secundo, ratione formæ seu modi, dividitur in *holocaustum*, *hostiam pacificam* et *hostiam pro peccato*, quæ omnia declarantur. — 13. Tertio, ratione finis, dividitur in *latreuticum*, *eucharisticum*, *impetratorium* et *satisfactorium*, quæ omnia declarantur. — 14. Omnia dicta sacrificia modo coadunata sunt in uno tremendo et inruento missæ sacrificio. — 15. Quamvis unicum tantum sit sacrificium novæ legis seu missæ, ratione unius tantum rei oblatæ, quæ est ipse Christus, ratione tamen modi offerendi est duplex, scilicet *cruentum* et *incruentum*, et quid sit utrumque. — 16. Sacrificium missæ penes diversos fines, dividitur in *latreuticum*, *eucharisticum*, *satisfactorium* et *impetratorium*, quæ omnia declarantur. — 17. Penes autem solos diversos fructus et effectus suos sacrificium missæ dividitur in *propitiatorium* seu *meritorium*, in *satisfactorium* et *impetratorium*, de quibus *remissive*. — 18. Sacrificium unde dicatur? — 19. Missa unde dicatur? — 20. Sacrificium missæ a Christo est institutum, et hoc in nocte Cœnæ. — 21. In sacrificio missæ est eadem

(1. Sacrificium in genere sumitur dupliciter, scilicet late seu improprie, et stricte seu proprie. *Communis*. (2. Sacrificium late seu improprie sumptum, est quodlibet opus bonum in Dei honorem et cultum relatum, ut sunt orationes, laudes, adorationes cæterique actus virtutum, præsertim religionis, et in hoc sensu sacrificium complectitur iustitiam, juxta illud psalm. IV, n. 2: *Sacrificate sacrificium iustitiæ*. Item internum animi dolorem propter Dei offensam, juxta illud psalm. L, n. 9: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*. Item externam laudem in Deum relatum, juxta illud psalm. XLIX, n. 3: *Sacrificium laudis honorificabit me*. In simili casu loquitur ad *Hebræos* cap. XIII, n. 15: *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum consentium nomini ejus*. (3. Sacrificium stricte seu proprie sumptum est peculiaris actus virtutis religionis, quo speciali quodam modo recognoscimus summam Dei excellentiam, supremumque ejus dominium, et nostram ad ipsum subjectionem per oblationem et destructionem alicujus rei sensibilis. (4. Et sacrificium hoc modo sumptum, de quo hic est sermo, sic definitur: « Sacrificium stricte seu proprie sumptum est oblatio externa rei sensibilis legitime instituta, et a ministro legitimo facta soli Deo per destructionem vel notabilem ipsius rei oblatæ immutationem in recognitionem nostræ totalis ad ipsum subjectionis, supremique ipsius in nos, et res omnes domini. » Est in re communis.

(5. Dicitur primo, *oblatio externa rei sen-*

hostia quæ in cruce. — 22. In sacrificio missæ continetur Christus incruente, et immolatur. — 23. Sacrificii missæ oblatio non præjudicat sacrificio facto a Christo in cruce. — 24. Sacrificium in pane et vino consecratis obtulit etiam Christus, et sic faciendum præcepit apostolis et successoribus. — 25. Sacrificium missæ a D. Jacobo apostolo fuit ordinatum quoad ritum et celebrationem. — 26. Ad rite perficiendum sacrificium missæ canon fuit ab Ecclesia institutus ex Christi verbis et apostolorum traditione. — 27. Ceremoniæ, quæ in sacrificio missæ sunt, ex apostolorum traditione habentur. — 28. Sic vestes, benedictiones, thymiamata, etc. — 29. Sacrificium missæ non potest fieri vulgari lingua. — 30. In sacrificio missæ quædam dicenda sunt clara et alta voce, et quædam submissa. — 31. Sacrificium missæ ab apostolis cœpit fieri post Ascensionem Christi in cœlum. — 32. Missa olim dividebatur in duas partes, scilicet in missam catechumenorum, et missam fidelium; et quomodo. — 33. Missa quid vere sit? — 34. Principalis offerens missæ sacrificium est Christus Dominus, quamvis illud offerat sacerdotum ministerio. — 35. Minus principalis offerens missæ sacrificium est sacerdos celebrans ut proximus et immediatus Christi minister et vicarius. — 36. Etiam cæteri alii fideles non sacerdotes, aliquo modo, licet minus proprio, hoc sacrificium offerunt. — 37. Hostia et res oblata principalis, seu id quod proprie et principaliter offertur in sacrificio missæ, est corpus et sanguis Christi, atque ipse Christus, ut constitutus sub speciebus panis et vini, vi actionis consecrativæ. Alia notanda ad n. 61.

*sibilis*, quia sacrificium est cultus Dei exterior protestativus supremi ejus domini etiam coram hominibus, qui nonnisi sensibilibus communicant inter se.

(6. Dicitur secundo, *legitime instituta*, quia, cum sacrificium sit signum publicum protestativum supremi Dei domini, et specialis Dei cultus nomine totius communitatis Deo exhibendus, et signa communia et cultus publici per publicam et legitimam auctoritatem institui debeant; ideo et ipsum sacrificium debet esse institutum publica et legitima auctoritate, et per hoc sacrificium differt a martyrio, quod non est publica auctoritate institutum.

(7. Dicitur tertio, *et a ministro legitimo*, quia cum sacrificium sit specialis Dei cultus, nomine totius communitatis ei exhibendus, requiritur quod ad hoc sit aliquis specialiter deputatus tanquam legitimus minister; unde non solum in lege evangelica sunt ad id deputati speciales ministri, nempe sacerdotes ex cap. *Firmiter credimus* 1, *De summa Trinitate*, et fide catholica, et concil. *Trident.*, sess. XXIII, capit. et can. 1, sed etiam in lege scripta sacrificia offerebantur a ministris ad hoc specialiter deputatis, ut patet *Numer. III*, et qui sine tali deputatione sacrificia offerre tentarunt, divinitus sunt puniti, ut patet de Saule *I Reg. XIII*, et Ozia *II Paralipom. XXVI*. Et etiam in lege naturæ fuisse aliquos specialiter deputatos colligitur ex *Genesi XIV*, ubi Melchisedech dicitur obtulisse panem et vinum, et ratio additur: *Erat enim sacerdos Dei summi*. Et tales sacerdotes pro tunc secundum com-